

va nullo modo, sed ne recta quidem nimie et inordinate proferantur: quia saepe dictorum virtus perditur, cum apud corda audientium loquacitatis incauta importunitate levigatur: et auctorem suum haec eadem loquacitas inquinat, quae servire auditoribus ad usum profectus ignorat. Unde bene per Moysen dicitur: vir qui fluxum seminis patitur, immundus erit. In mente quippe audientium semen securitatis cogitationis, est auditae qualitas locutionis: quia dum per aurem sermo concipitur, cogitatio in mente generatur. Unde et ab hujus mundi sapientibus praedicator egregius seminiverbius est vocatus. Qui ergo fluxum seminis sustinet, immundus asseritur: quia multiloquio subditus, ex eo se inquinat, quod si ordinate promeret, prolem rectae cogitationis edere in audientium corda potuisset: dumque incautus per loquacitatem diffluit, non ad usum generis, sed ad immunditiam semen effundit. Unde Paulus quoque cum discipulum de instantia praedicationis admoneret, dicens: testificor coram Deo et Christo Jesu, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum ejus, praedica verbum, insta opportune, importune: dicturus importune, praemisit opportune: quia scilicet apud auditoris mentem ipsa sua vilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit.

CAPUT V. UT SIT RECTOR SINGULIS COMPASSIONE PROXIMUS, PRAE CUNCTIS CONTEMPLATIONE SUSPENSUS.

Sit Rector singulis compassione proximus, prae cunctis contemplatione suspensus: ut et per pietatis viscera in se infirmitatem ceterorum transferat, et per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat; ne aut alta petens, proximorum infirma despiciat, aut infirmis proximorum congruens, appetere alta derelinquat. Hinc est namque quod Paulus in paradysum ducitur, caelique tertii secreta rimatur, et tamen illa invisibilium contem-